ORATIO LEGATI apoſtolici habita Thorunij in Pruſſia ad ſereniſſimum Poloniȩ regem cõtra errores Fratris Martini Luteri.

Edictum eiuſdem ſereniſſimi Regis contra Luterum.

Decretum eiuſdẽ Legati pro chriſtiano ritu in Lituania ſeruando & ampliando.

Concrematio Luterinarũ traditionum in Pruſſia eiuſdem legati mandato.

Edictum inuictiſſimi Cæſaris Caroli in cauſa Luterina.

M. D. XXI.



Psal. cxviij Faciem tuã illumina ſuper ſeruũ tuũ dñe, & doce me iuſti. tuas.

ORATIO REVERENDISSIMI PATRIS DO-
mini Zacharię Ferrerij Vicentini pontificis Gardieñ in
Poloniam & Lituaniam legati apoſtolici ad ſereniſſi-
mum Regem Poloniæ Sigiſmundum de elimi-
nandis e Regno Polonię erroneis & conta-
gioſis traditionibus Martini Luteri.

QVum primum auſpice deo in has Sarmatię re-
giones, quę tuo parent imperio Sigiſmunde Rex
potentiſſime apoſtolico me iuſſu cõtuli nõ potuĩ
non magnopẽ mirari religionẽ erga deum pene
incredibilem, obſeruantiã erga romanam eccleſiam incom-
parabilem: quas in te principe optimo & pĳſſimo prę omni-
bus, in pontificibus ſacerdotibuſq; prę cęteris, in proceribus
quoq; ac ſenatoribus tuis prę multis: in ſubiectis inſuper tibi
populis prę varĳs chriſtianorũ nationibus (nõ ſcintillare tan-
tum) ſed & lucule͂tius ſplendere animaduerti. Qua re factum
eſt vt chriſtianę reipublicę non mediocriter gauiſus ſim, quæ
in orbis finibus, ſeu borealibus terrę limitibus, vbi cœli rigidi-
tas maxima, vbi tellus frigida eſt, hortum ſalutarium delicia-
rum, ac amęniſſimũ ſpiritualis voluptatis paradiſum, agrũq;
ac vineam feraciſſimos poſſideat: a qbus fructus honoris &
honeſtatis ſuo tempore procedant: quorum & folium cir-
cumflantibus infidelium nationum ventis: quæ tuos fines
pene vndiq; accolunt non defluat: ſed potius contra eos quę-
cunq; facias pio marte ſemper proſperentur. Non ſic impĳ,
irreligioſi, ſchiſmatici, & a vera religione deuĳ, non ſic:
ſed tanq; puluis que͂ proĳcit ventus a facie terrę. Benedictus
deus qui dedit, vt tu princeps religioſiſſime, regnumq; tuum
abundetis omni opere bono, ſicq; ambuletis, vt abundetis
magis: in vobiſq; verificetur illud propheticum: Terra inculta
facta eſt vt hortus voluptatis. Sed paradiſus abſq; ſerpente
nõ eſt, nec hortus ſine eruca & brucho, neq; ager tritici abſq;

Ec.xxiiij.
Pſ.j.
ij.Cor.ix.
Eze.xxxvj
Gen.iij.
Amos.4.
Mat.xiij.

Psal.lxxvi. lolio, & zizaniis: neque vinea domini sabaoth absque apro de sylua, & singulari fero: qui quandoque extermine & depascat eam, neque Abel absque Chain. Sic enim dum in hoc sęculo degi-
Gal.vi. mus mala bonis permixta sunt: vt iuxta apostolum vniuscu-iusque opus probet quale sit (hoc de hęreticis dico) de quibus
i.Co.iii. idem apostolus ait: Oportet hęreses esse: vt & qui probati sunt manifesti fiant. Mox quippe vt tanta quæ hic semper virescit reli-gionis amęnitate admodum oblectarer non defuit quoque virus atrum: quod haustam florum, ac fructuum flagrantiam, & suaui-tatem suo contagio pene inficeret, tristiciamque non mediocrem meo animo afferret, aspidis inquam surdę fratris Martini Luteri insana doctrina, & ab catholicis dogmatibus aberrans: quæ cum iuxta sui nominis sonum, & ethimologiam sicuti lutum figuli, & lutea testa fragilis admodum existat, nec rationi tamen scit cedere, nec diuinis doctrinis se nouit inflectere: sed obtu-rat aures suas: vt non exaudiat vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter, & sub imagine zelatoris pro domo domini, ac sub cultioris sermonis, confictęque loquentię lenocinio nectar propinat felle commixtum, mella taxis conspersa subministrat, in-cautioresque, ac impitiores animos quasi meretriciis quibusdam blanditiis aucupatur. Quod Salomon in parabolis ad vnguem
Pro.vii. expressisse videtur: quum ait. Consydero vecordem iuuenem: qui graditur in obscuro aduesperascente die in noctis tenebris, & caligine, & ecce occurrit illi mulier in ornatu meretricio pręparata ad decipiendas animas garrula, & vaga, quietis im-patiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc in
Esa.x. plateis, nunc iuxta angulos insidians. Sed quoniam vt Esaias ait, redundant fructus eius in conculcationem & lutum, ideo vt lutum platearum authore domino delebimus eos. Siue enim luter, siue lutum: vtrunque vocabulum malam sui exprimit qualitatem. Lutum sane sicuti immundum est, ita & coinquinat. Traditio Luterina vti immunda est, carnalis, & contagiosa ita etiam quem attigerit fœdat, inficit, commaculat, erroribus con-

ſpergit: quoniam a vera & catholica quam ſemel amplexatus eſt vnitate deficiens iuxta Petrum apoſtolum veluti canis eſt reuerſus ad vomitum, & ſus lota in volutabro luti. Luter autē (ceu notiſſimum) vas eſt in quod vinum aqua perfunditur, vt

ij. Pe. ij.

verificet de eo illud propheticū: Vinum tuū mixtum eſt aqua. i. inſipidum eſt, debile eſt, arte confictum eſt, corruptibile eſt: Et iuxta Hieremiam plaga tua facta eſt quaſi mendaciū aquarū infidelium. Hanc peſtem tanq̃ rubiginem ſegetem domini in

Eſa. ij.

Hie. xv.

regno tuo deuaſtantem quū proſpexerim rex auguſtiſſime: ne mihi pontifici, ſanctæq; apoſtolicę ſedis apud maieſtatem tuam nuncio impingatur illud Eſaię: Speculatores cęci omnes neſcierunt, vniuerſi canes muti nō valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes ſomnia, ipſi paſtores ignoraue runt intelligentiam, non poſſum diſſimulare, non poſſum ſilere, quin coram tua ſerenitate conquerar, & pro cuſtodia domus dei: quam decet ſanctitudo: repetitos contra inua‑ ſorem eiulatus non emittam, excitemq; pontifices, optima‑ teſq; tuos: vt cōmuni huic incendio extinguendo mecum eui‑ gilent, omnēq; operam nauent, accurrant, & aquam ſapientiæ ſalutaris ſuperponant. Flecto autē genua mea cum apoſtolo,

Eſa. lvj.

ad patrem domini noſtri Ieſu Chriſti, q̃ dederit vobis ſecun‑ dum diuitias ſapientię ſuę virtutem corroborari per ſpiritum eius in interiori homine, & Chriſtum ita habitare per fidem in cordibus veſtris: vt in charitate radicati, & fundati cōprehen‑ dere poſſitis cum omnibus ſanctis quę ſit latitudo, longitudo, ſublimitas, & pfundū pſeudo doctrinę huius luterinę, fragilis, carnalis, & luteę. Ecce ſicuti ſemper & priſcis, & recentioribus temporibus dei eccleſia: quo fortes in fide ſtabileſq; probent, & dinoſcant homines: ab hereticorū ſentibus vti roſa inter ſpi nas nunq̃ libera fuit, ſic & modo ab eis nequaq; immunis ha‑ betur. Quę eñ tunc modo Cherintum, modo Arrium, modo Macedoniū, modo Neſtorium, modo Eutichium, modo Ma‑ nicheum, modo Sabellium, Pellagium, Dioſcorum, Iulianum,

Ephe. iij.

Porphyrium,& alios plurimos hęresiarchas in sui primordijs insectatores habuit,& quę nuper Ioannē Hus,Ioannē Vicleff, & Hieronymum Pragen̄, veluti tortuosos angues iactata a Christo rege & duce nostro pacis & vnitatis semina suo veneno inficere nitentes ꝓpessa est,nunc Luterum hunc acsi aspidem surdam omni pietati,omni religioni,omni christianę politię,omni honestati,omni deniq; veritati aduersantem, obturatisq; auribus pia sanctorum patrum instituta, sanam doctrinam,apostolicasq; traditiones nō audientem experitur. Rara quippe ætas fuit:qua impium aliquod,& a vera aberrans religione dogma vti cicuta olens, vti vrtica pungens in agro & vinea domini, quo veri exerceant ecclesię agricolę nō assurrexerit, suiq; cacumen extulerit,ac sui sementem circūquaq; sparserit. Sed q̄q; eius (etiā ad cęlum vsq;) sup̄bia ascenderit, & caput nubes tetigerit quasi sterquiliniū in fine perdita sunt. Gaudiū enim hyppocritę ad instar puncti est. Sicuti em̄ & illi om̄es,q mane oriebanē instar luciferi ceciderūt,exterminatiq; ad inferos descendere,sic & Luterus is permittente deo nunc ad proscindēdam Christi domini nostri incōsutilem tunicam vim suam & conatum vafre exercens non degenerabit ab his quos imitatur christianę tranquillitatis turbatoribus,& miserabilium lictoribus,ac peremptoribus animarum.Stat profecto sua cuiq; dies,eritq; dum fidelis populus de ipso,veluti de alijs factum est,decantabit dauidicum illud: Vidi impium superexaltatum,& eleuatum sicut cedros Libani, & transiui,& ecce non erat:quæsiui eum,& nō est inuentus locus eius.Romana quippe ecclesia christiani orbis magistra,omniūq; christianorum vniuersitatē virtute illa beatissimo Petro apostolo diuinitus tradita preferens sicut nunq̄ fide, & pietate errasse cōperta est adstipulante christi pollicitatione: Ego pro te rogaui Petre,vt non deficiat fides tua,et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos,sic omnes hęreses sola interemit in vniuerso mundo, omnes a vera religione extorres veris docuit

Ps.lvij. Job.xx. Esa.xiiij. Ps.xxxvi Luce.xxij

& stabilisunt institutis, omniumq; heresiarcharum, omniū subli-
mium principum, & superborum colla aspirante deo propria
virtute calcauit: vt semper adimpletum in ea sit propheticum
illud: Venient ad te q detrahebant tibi, & adorabunt vestigia
pedum tuorū. Veluti quippe nauis illa in medio mari (instar
dormientis dissimulante domino) ventorū impetu, aduersisq;
fluctibus quatitur, impellitur, turbatur, peneq; periclitari vi-
detur: vt probent spiritus si ex deo sunt, inuocetur, rogetur, ac
interpelletur dominus: Exurge, quare obdormis dñe? Exurge,
& ne repellas in finem. Verum nec heresum, aut schismatum
turbine, nec mundanarū potestatum impetu, fluctibusue fran-
gitur, subijcitur, prosternitur, aut demergitur, tanq̄ palma que
quanto magis deprimitur tanto exit robustior. Compertum
est enim his omnibus qui veras, & pontificum, & cesarum
perlegere historias romanam ecclesiam de omnibus poten-
tissimis etiam hostibus semp triumphasse. Quid insolentius
rex pijssime: quid insanius: quid dementius, q̄ contra com-
munem ritum, cōmunem ordinem, cultumq; pene vniuersum
religionis pro vero ac sancto tanto temporis fluxu obseruatū,
ac si quisq; more gigantum contra coelum omne bellum fru-
stra insumat, quicq̄ velle attentare, audere, presumere? Nihil
em̄ aliud est: q̄ ad vnius hominis sententiā asserere christianā
rem publicam a mille annis citra in tenebris & cecitatis vm-
bra versatam esse, & hucusq; versari. Quid magis deridendū:
q̄ q̄ quispiam (qui viri saltem nomen habeat) huius Luteri
ambagibus, & indoctis fabulis, ac insanis traditionibus chri-
stianam aurem inclinet? Nam (vt tua serenissima maiestas lu-
culenter animaduertit) non nisi agitate vento arundines, non
nisi scioli qdam & grāmatiste: qui dum guttam aque in bonis
litteris ebiberūt totū ferme mare potasse arbitrantur, non nisi
quoddā vulgus ineptum, non nisi insani, siue ecclesiastico sta-
tui ac romane censure ex potentioribus aduersantes Luteri
scriptis oblectant, applaudunt, Et si aperte pbare non possint,

Mar. vi.

Ps. xliij.

sagax saltem eius esse ingenium, recteq; in clericorum mores inuehi astruunt, & in alienis festucam in suis trabem oculis non animaduertũt. Nam si in moribus ecclesiasticis quicpiã reprehendendum erat cur pontificem maximum charitate permotus, cur non. S.R.E. cardinales patres, apud quos ecclesiastica censura manet, nõ adijt, vel comiter ad eos sacerdotum vitam castigatione dignã esse (secreto saltem) non scripsit potius: q̃ famosis vndiq; sparsis libellis in ruinam & scandalũ pusillorum, sacerdotijq; dedecus & indignitatẽ illum apicem sacrum deturpare, mordere, lacerare: quẽ magnus Constantinus totius orbis imperator in precio ita habuit: vt peccantem sacerdotẽ explicito pallio potius contegendum ne ab aliquo perspiciat, q̃ prodendum esse asseueraret? Quum etiam nulla sit hodie principis curia quę æque taxari nõ possit, ac emendatione nõ egeat (quũ omnes pene declinauerint, inutiles facti sint) cur in romanam tantummodo superbum verticem erexit, & sicuti serpens linguam acuit, & vibrauit? Insuper & si contra abusus sacerdotum etiã in venijs palam & passim scribere nõ est veritus, cur saltem capiti illi sanctissimo pontificis maximi veri dei in terra vicarij non pepercit: sed etiã vt omnẽ ecclesię principatum, & monarchiam, & ordinem confunderet, & auferre niteretur in Christum domini: quem solus ipse deus iudicat dolosa labia aperuit? Venias & peccatorum remissiones ex Christi domini nostri passione & morte, ac illa pro salute nostra vberrima sanguinis effusione, sanctorũq; meritis tam longa ætate, & diuina reuellatione, & sanctorũ patrum authoritate ab vniuersa ecclesia (nõ modo ex latinis verumetiam & gręcis) obseruatas hactenus, & sacrarum scripturarũ testimonio assertas, quum dicat ille propheta regius: Particeps ego sum omnium timentiũ te & custodientiũ mandata tua: negat, inficiatur, euacuare conatur, & quasi sanctorum communionem improbare non veretur? Si abusum veniarũ forte (quod aliquando ipsis etiã inscijs patribus euenit) & cui semp sancti

pontifices saluberrimis decretis occurrere nitunt, accusasset, tolerabilius quidem esset. Sed quis hoc ferre potest: vt iuxta apostolum spiritualium sanctorum participes nō simus, & illam cōmunicationē de ecclesia amoueamus: de qua scriptum est: Vnxit te deus tuus oleo leticię prę participibus tuis. Et participes Christi effecti sumus: si initium substantię eius vsque in finem. &c. teneamus. Cur claues Petro: cur Petri successoribus ad aperiendum a domino traditę sunt & claudendum: nisi vt ille sit spiritualis quoque thesauri in Christo & in sanctis fidelis dispensator: qui sponsę ecclesię sponsus est, vt quodcunque soluerit, quodcunque ligauerit (eodem teste) super terram sit solutum: sit ligatum & in cęlo, & per manus Petri eiusque successorum Romanorum pontificum ea gratia in omnes proueniat sacerdotes & christianos? Sed quum intrandi longam hanc disceptationem coram hac tua cęlsitudine non sit pręsentis tēporis Sigismunde rex amplissime illam omittendam censuimus. Nam in die festo resurrectionis domini & regis nostri Iesu Christi, & in die agonis & passionis eius: vbi inter sacrificandum, & diuina obsequia audiente maiestate tua de hac re satis tractauimus, tam hęc quam illa de Romani pontificis, & S.R.E. primatu, & alia eiusdem Luteri deliramenta doctissimorum patrum responsis (si responsione tantorum virorum digna erant) priusque etiam Luterus genitus esset satis superque disiecta sunt (quamquam nōnulli qui labiorum superficie sacras doctrinas vix attigere eorum patrum responsa, quę rationali theologia, ac speculationibus fulciuntur exili ingenio & indocto capite non intelligentes, nō capientes, vel forte spiritui sancto obicem facientes taxare audeant, & minime quadrare sua adstipulent temeritate) Quantum enim cęcutientes ab ecclesię matris ventre aberrent satis liquet, satis faciliori & euidentiori argumento silentium sibiipsis imponere possunt (postquam altiora nō attingunt scientiarum cacumina) dum quę subijcimus naturali saltem iudicio librent & percontent. Sane

Heb. vi.
Ps. xliiij.
Heb. iij.

si veras has esse traditiões quas omnis christiana vniuersitas afflante spiritu sancto tam diu & de venijs, & de primatu Romani pontificis nō humana: sed diuina authoritate firmato, ac de sacramentis Luterus forsan dubitauit, cur antequam scriberet, & passim scripta ederet, suumque circumquaque venenū diffunderet Romam nō petijt: ex qua cessante figura illa vetustiori, & ea materiali Hierusalem diruta & euacuata tanquam ex mystica fidelium arce Syon lex exit, & verbum dñi de Hierusalem?

Esa. ij.

Cur preclaras omnium bonarum artium & diuinarū doctrinarum vniuersitates non adijt, & doctioribus consumatisque viris suam hanc seu ambiguitatem, seu sententiam nō aperuit: cum eis non tractauit, & priuatim non disseruit, antequam elato supercilio, & aperta facie noua hec & perniciosa dogmata excussis quotidie voluminibus in publicum afferret? Cur ea que apud peritiores altiora & arcana sunt, & cibus fortior coram paruulis, insipientibus, & indoctis vernaculo Germanie idiomate editis codicibus apposuit, & vndique vulgauit: nisi vt simplicissimum vulgus falleret, & cecus dux cecos miserabiliter secum in perditionis foueam traheret, & sepeliret? Ego ingenue profiteor Luterum hunc maiores sua vernacula, quam latina lingua errores seminasse. Quid denique tot, tantaque in sanctos ecclesie doctores: in Augustinum: in Hieronymū: in Gregorium: in Thomam aquinatem: in omnes sacrorū theologorum coetus & magistros prestantissimos iactata conuicia: maledicta, & blasphemie manifestissime, nisi tumidū pectus: nisi incōpositam, & liuidam, ac prorsus a deo alienam mentē argumētant & probant? Sane addendo quotidie mala malis: sacra precepta: approbata concilia, patrumque dicta huc & illuc in suum erroneum sensum perperam intorquendo, vel etiam damnando, nonnulla ecclesiastica sacramenta detestando, ordinem christianū pene omnem cōfundendo, & perturbando: spurcam sectam inducendo: & qui aliquādo traditiones suas has abiurauerat in recidiuam cadendo, quid aliud prefert quam

nouum antichristum, quum dicat Ioannes apostolus, quoniã antichristi multi sunt? Sed quũ ille postremus spiritu domini nostri Iesu Christi interficiendus sit, quid aliud expectandum est a nobis ꝙ vt & is (sicut & plures fuere) illius futuri precursor infęlici & infausto fine damnetur: q supra se tantummodo oriri solem: q se vnum lucem: reliquos vero omnes tenebras esse, & densissimã caliginẽ arbitratur, petulantiq; etiã animo & ore sacrilego profitetur? Vtinam saperet qui in oculis suis sapiens est, & intelligeret, ac nouissima ꝓuideret. Quod sane si quis ita esse manifestius perpendere cupiat vitam Luteri luteam, spurcam, immundam, crapulę, & ebrietati deditam, spiritum vero superbum: arrogantẽ: liuidum animũ: mordacem linguam & iactabundam sibi proponat: quum ex hac mala arbore nullus bonę doctrinę sperari fructus possit. Quę syncera traditio e fœdis moribus: quæ spiritualitas in ecclesiam dei e carnali ac penitus terrestri consuetudine introduci potest? Quippe non inficior spiritualium, & secularium omniũ statum, ac vitam a bonis institutis, & moribus illis candidioribus non parum declinasse, instaurationeq; egere plurimum. Sed hæc non ab inferno: sed de cęlo: non ab immundo & ambicioso homine: quem abominatur dominus: sed a Christo & Christi membris purissimis, sanctissimis quãdoq; futurã speramus, expectamus. Quare rex gloriosissime tu princeps christianissimus edictum statue, & mox sancias ea Luteri scripta omnia quæ in regno tuo comperiunt tanꝙ erronea, & contagiosa ignibus tradi, cõcremari, conflagrari, ab tuiq; regni limitibus perpetuo relegari, interminareq; ne quispiam amodo seu venalia, seu quomodolibet ꝓspicienda adducat, teneatue: quoniam veneno consperfa sunt. Nam vos reges: vos principes, paries, columnę, robur, fortitudo, ac lumen ecclesię estis. Si eam destruere nitentibus nõ resistitis: qd de vobis Christi sponsa & mater vestra candidissima aliud gemens dictura est: ꝙ illud dauidicum: Dereliquit me virtus mea: & lumen ocu-

Jo. ij.

Deu. xxxi

lorum meorum, & ipsum non est mecum? Vos quoq; sacratissimi antistites vt veri pastores, custodientes vigilias noctis supra gregem vestrum pro vestra erga apostolicum solium veneratione spiritualis militię vestrę arma, & censuras adhibere nequaq; prętermittatis. Et quoniam ad expellendum de plurimorum mentibus venenũ id imbibitum hęc tantũmodo remedia nõ sufficiunt: sed opus est eos errores rationibus etiã refellere, sacrisq; authoritatibus explodere, ancipitesq; animos, & forte eo morbo lęsos reddere incolumes, & curare, cõpellor ideo inter quotidianas curas: quibus premor, assiduosq; pacis tractatus: qbus insudo: tẽporis interuallulũ captare aliquod, & cuicunq; expetenti eas fallacias Luteri lutum esse, & vasa figuli fragilia admodum, vinũq; aqua perfusum: quod facillime corrumpitur: euidentius demonstrare. Dixi.

EDICTVM SERENISSIMI PRINCIPIS & domini domini Sigismundi Polonię regis inuictissimi, pijssimi, contra Luteri damnata scripta.

SIGISMVNDVS dei gratia Rex Polonię, magnus dux Lituanię, Russię, Prussięq; dominus & heres. &c. Vniuersis & singulis manifestum facimus: quia intelligentes ad regnum & dominia nostra inferri nonnullos libellos cuiusdam fratris Martini Luteri ordinis eremitarum in quibus multa cõtinentur tam cõtra sedem apostolicam, q̃ etiam in perturbationem cõmunis ordinis, & status rei ecclesiasticę, & religionis, ne in regno nostro ex huiusmodi scriptis errores aliqui pullularent, officij nostri vt christiani principis, & fidelis filij sanctę matris ecclesię esse duximus authoritate & potestate nostra regia huic cępto noxio obsistere. Mandamus igitur vobis omnibus subiectis nostris & cuilibet vestrum seorsum, q̃ nemo deinceps audeat talia opera: vt pręmissum est: in regnũ & dominia nostra inferre, vendere, emere, aut illis vti sub pœna confisca-

tionis bonorum omnium, atq; exilij: quam vnusquisq; mandatum hoc nostrum transgrediens sine vlla excusatione tam ignorantię q̃ alterius causę subibit, & pro gratia nostra aliter non facturi. Datum Thorunij ipso die Inuentionis sanctę crucis. anno domini millesimo quingentesimo vigesimo, Regni nostri quartodecimo.

Zacharias episcopus Gardieñ Martino Lutero .S.P.D.

Redeuntibus clarissimorum principum sacri Romani imperij electorum in Germaniã oratoribus Martine charíss: quorũ in re pruthenica consuetudine assidua vsus sum, & cum quibus sępenumero de te sermonem habui volui ad te scribere in spiritu charitatis, & meas ad te illis epistolas commendare. Ipsi enim testes sunt quantum de tuo interitu dolui (quum pręcipue vnde tua errata primam habuesint originem narrauere) Deum etiam ipsum testem habeo quoties pro tua, & populorum salute: quos tecum in pręcipitium ducis: supplices oratiões, & lachrymas, & sacrificium, & hostiam obtulerim. Vellem mi Martine vt oculos aperires, saperesq;, & nouissima prouideres. Nec tibi hanc gloriã polliceare: vt instar Dianę ephesię templi christianam esse religionem, & .S.R.E. quam possis euertere arbitreris. Ipsa enim non palustri in solo: non super carbones, aut lanę vellera (vt phanum illud erat) sed supra firmam petram ita ędificata est: vt portę etiam inferi nec quicq̃ aduersus eam pręualeant. Vellem vt tibi aliquando proponeres eos: qui hoc idem tentare annixi sunt, & penes quos longe maior q̃ apud te humanarum ac diuinarum litterarũ peritia, authoritasq;, ac potentia viguit frustra palestram hanc ingressos: frustrà cõtra impetum fluuij conatum fecisse. Sed tradidit eos deus in reprobum sensum, & errauerunt palpitantes in tenebris, & excęcauit eos adeo malitia eorum: vt in interitum deducti sint; euanuerint in cogitationibus suis, & finis eorũ confusio fuerit. Nec mihi quisq;

Luce .vi. Mat. xvi.

Eccle.iij Rom.i.

Sapi.ij.

persuadeat te ita vecordem esse: vt tuos errores non perpendas: quũ apud eos (quibus scintilla saltem luminis est) ita manifesti sint: vt magis esse non possint. Sed hanc tibi (vt ex principijs quę te ad id mouere animaduertimus) gloriam inanem comparare: hanc in. S. R. E. vindictam impudenter exercere pro virili tua aggressus es: vt nouam sectam inducere, & apostolicę sedi, quum libuit te resistere potuisse passim ostendas. Verum quũ ita sit, nec deum times, nec deum credis: qui vindex malorum est, dixistiq; vti insipiens in corde tuo nõ est deus. Sed mi Martine te hortor: te etiam per Iesum Christum qui iudicaturus est viuos & mortuos rogo & obsecro: vt si te ita in foueam mortis pręcipitare omnino cõstituisti, misereare saltem eorum vulgraium animorũ: quos quotidie tuo veneno inficis: necas: interimis, & vna tecum in perditionem trahis: quorũ & sanguinẽ a te potatum: quorũ vitam a te deglutitam de manu tua omnipotens ille, & tremendus author aliquando exiget, & requiret. Video iam te Sergium illum teterrimum monachum: qui maumethicam sectam promouit: effigiare. Video te iam ad aliud nihil: q̃ ad christianos sub maumethicas ꝓphanas leges sensim alliciendum tendere, & anhelare: ad regna perturbandum: ad pacem & vnitatẽ scindendũ: ad ordinẽ confundendum manibus ac pedibus niti, & operam omnem nauare. Permittit deus regnare hominẽ hypocritam propter peccata populi. Sic nos deus his interdum castigat flagellis: vt pręuaricatores ad cor redeamus. Sed si tu flagellum es: Sit nomen domini benedictum, dum nos hoc (cũuis malo instrumento) ad rectitudinẽ deducat, castigatosq; efficiat dominus, purget, probet, & in igne aduersitatis examinet sicut probatũ aurum, & examinatũ argentum: vt quandoq; decantare possimus. Igne nos examinasti deus: & transiuimus per ignem & aquam, & deduxisti nos in refrigerium. Sed Martine omnino instrumẽtum malum es. Per te conflans, & emundans argentum purgabit dominus filios Leui, & colabit eos quasi aurũ, & quasi argentum. Et erunt offerentes domino sacrificium in

Eze. iij. | Job 34. | Esa. xlvi. | Ps. xvi. | Ps. lxvi. | Mal. iij.

iusticia. Illi purgabunt: tu autem idem ipse eris, & in luto tuo (vnde & cognomē recte adeptus es) in fęditate tua, & in peccato tuo morieris. Ex luto, & fimo, & stercore: quibus sordida abluunt indumenta, smigmata aliquando fiunt. Quid mirum si te etiā purgabimur, mundabimur, candidabimur? Vtinam omnipotens author effundat super nos aquā mundam, aspergatq; nos isopo & mundemur. Verum & si in locum tuū abiturus sis,auresq; obtuderis, & frontem pfricaueris: haud tamē desistam (quum pręcipue vicina tibi in patria apud serenissimum & pijssimum Polonię regem Sigismundum pro apostolica sede agens de te, tuaq; hac secta pestifera quotidie noua intelligam) quin te ea charitate moneam: qua alter alteri debitores sumus: vt Martine oculos aperias, videasq; quanto cęcitatis baratro captiuus detinearis: qui tibi soli oriri solem: qui te solum esse diem, cęteros noctem arbitraris: qui nec eorum doctorum, quibus & munda vita, & eminenti scientia longe impar es, irrefragabili sententię: qui parisiorum: qui colonień: alijsq; omnibus celebratissimis Italię, Germanię, Gallię, Hispanięq; vniuersitatibus cedere nequis: qui beatissimi pontificis & S.R.E. sanctissimis contra te decretis ac sanctionibus (quibus obsistere summa perfidia & dementia est) proteruum caput, ac superbum verticem inclinare contemnis: qui christianam vniuersitatē ab mille supra annis in tenebrarum caligine positam esse astruis: qui te meliorem: qui te doctiorem mortalibus cunctis dementissime iactare videris: qui omnes in arenam, omnes in pugnā vocas. Martine aperi oculos & vide non esse ingenuos homines adeo hebetes, adeo ignauos: vt va frum te esse (q̄ꝙ insipientem) non agnoscant, tuaq; hęc friuola, futiliaq; dogmata probi & sapientes viri aperte non intelligant. Martine aperi oculos & vide: quoniam haud noua sunt, & a te solo excogitata, quę contra omnem ecclesiam tua sententia proferre non vereris: sed antiqua, & ante atauos tuos ab alijs vetustioribus hęreticis in campum adducta, demumq; a vera religione explosa: vnde nihil agis aliud q̄ te

Io. viij.
Eze. 36.
Psā. l.

frustra experiri: si adhuc quę alias a priscis patribus damnata & abolita sunt iterum suscitare possis. An ignoras iam (anteꝗ tu etiam in fęmore patris tui esses) singulas eas fallacias satis superq̧ confutatas esse, indecensq̧ fore, & omnino improbum frustra & in cassum contra tuam hanc insaniam iterare responsa, seu replicare: pręcipue qa scriptũ est: In maliuolam animam non intrabit sapientia? Iam execranda dogmata hęc & sacris authoritatibus, & ratiõibus ab antiquo exclusa sunt. Cur in dubium iterum sunt reuocanda? Vna est tuarum traditionum confutatio: ꝙ a malo ꝓdiere principio: ab ęmulatione inuida, & ab animo vindictę, ostentationisq̧ cupido, ac ab eo patre diabolo: cuius inuidia mors intrauit in orbem terrarum. Tu Martine hęc etiam nõ inficiere: si saltem erubescere, & meretriciam frontem deponere incipias. Si insanũ & simplicissimum vulgus, apud quod (germano etiam idiomate) tua hęc in tuam & ipsius perniciem scripta passim per Germaniã diffudisti non erubescis, erubescas saltem doctos, & qui tui capitis

Esa. xx. ij. caluiciem detegere didicere: qui quantifaciendus es optime librant, ponderant, tuasq̧ argutias intus & in cute norunt, & aperte ꝓspiciunt. Clamant ignari fautores tui ad tecum decertandum omnes in theatrum, nullumq̧ adhuc tuam sentẽtiam refellere potuisse astruunt, iactantq̧ vndiq̧. Vere ignari: quia non perlegere authores. Perlegant & intelligant, animaduertantq̧ ea non egere confutatione: quę toties alias, & tam manifeste (vt & cęci id videant) confutata & damnata sunt. Dolebis forte ꝙ te Martine pungam, & acuto stimulo vrgeam.

Ps. cxl. Sed recordare quia scriptum est: Arguet me iustus in misericordia, & increpabit me: oleum autẽ peccatoris nõ impinguet

Pro. xxvij caput meum: Et quoniã melior est manifesta correptio: ꝗ amor absconditus: & meliora sunt vulnera diligentis: ꝗ fraudulenta oscula odientis. Coram omnibus peccasti. Coram omnibus arguendus es. Nullus te ad seducendum populos impulit, aut prouocauit. Tu autem omniũ christianoꝝ in te & animos, & manus, & deum ipsum cõcitasti: vt de te illud recte dici possit.

Manus

Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum. Gen. xvj.
Suspicor ꝙ non ęquo feres animo ea quę ex Christi charitate loqui compellor. Expectoq́ʒ vt sicuti cęteros omnes affecisti hactenus conuicijs & probris, ita me quoq́ʒ afficias, & in me iam & tua & tuorum ęmulatorū lingua acuatur: furor exardescat, & acerrimum odium nutriatur. Sed quis nos separabit a charitate Christi: tu ne Martine, aut ęmulatorum tuorum quispiam? Absit. Quin nec mors nec vita (minare tu, minentur & asseclę tui ipsum etiam interitum) nos separabit a Christo. Ro. xviij.
Transibimus per infamiam & bonam famam, vt seductores & veraces, ibimusq́ʒ gaudentes cum apostolis a conspectu concilij: ꝙ digni habiti simus pro nomine Iesu contumeliam pati. Obloquantur, detrahant, & maledicant veritatis inimici, insidias parent. Ego dicam cum Dauid. Domine libera animā meam a labijs iniquis, & a lingua dolosa, & ab homine iniquo & doloso eripe me, & a scandalis operantium iniquitatem. ij. Co. vj. Act. iiij. Ps. cxix. Ps. xlij.
Quippe nec desistam: vt de lacu miserię, & de luto fecis ad pęnitentiam te reuocem, exhorterq́ʒ iterum atq́ʒ iterū Martine charissime: vt statuat dominus supra petram pedes tuos. Memor esto vnde excideris, & age pęnitentiā: ne secundum duritiam tuam, & impęnitens cor tuum thesaurizes tibi iram in die irę. Et q̄q́ʒ peccatum tuū maximū sit, horrendum, & pene inexpiabile: memēto tamē, quoniā abyssus abyssum inuocat, abyssus peccati abyssum inuocat miserationis: quoniam miserationes domini super omnia opera eius. Vale in Christo. Ps. xxxvj. Apo. ij. Ro. ij. Ps. xlj.
Datum Thorunij in Prussia XIII. Kalendas Iunias. Anno millesimo quingentesimo vigesimo.

Zacharias episcopus Gardieñ sacris concionatoribus in Polonia: Lituania: Russia: ac Prussia constitutis S. P. D.

ARticuli erronei perniciosi ꝛ scandalosi fratris Martini Luteri damnati a sanctissimo domino nostro dño Leone decimo pontifice maximo de suorum fratrum S. R. E. Cardinalium consilio: necnō declarati hęreticos sordibus cōspersi ꝛ pestiferi ab clarissimis colonieñ: ꝛ louanieñ in Germania: ac parisieñ in Gallia: ꝛ alijs pręcipuis circumquaq́ʒ per

oꝛbem chꝛiſtianum vniuerſitatibus explicantur litteris apoſtolicis eiuſdem
ſanctiſſimi dñi noſtri (quæ ⁊ paſſim editæ ſunt) q̄ꝗ̄ ⁊ alios demū execrabi-
lioꝛes de ſacramētis eccleſiæ euomuerit: quos omnes mi frater tanꝗ̄ baſiliſcū
abhoꝛrēdos doceas. Incautam em̄ mentē ⁊ indoctū pectus mox ſuo veneno
inficiūt ⁊ infœlicē animū necant. Cogita ꝙ bono exitu claudi nō poſſunt: quæ
malo ſunt inchoata pꝛincipio. Unde ꝑniciem ⁊ luem hanc inter dei populum
diffundendi doloſam Luterus occaſionem ſumpſerit toti pene Germaniæ
(pꝛobis potiſſimū viris) notum eſt: vulgo tantum ignotum: quod effuſis ger-
mano idiomate codicillis ad macellum moꝛtis ignarum adducit. Sed quum
Germania inclyta catholicæ pietatis ⁊ religionis aſſertrix conſtantiſſima: ac
ſanctæ apoſtolicæ ſedis: ſanctæqꝫ Romanæ eccleſiæ obſeruantiſſima ſemper
fuerit: non diutius hanc peſtem ferre poterit: ſed ⁊ Luterum ⁊ luterinos
quoſqꝫ ipſamet ex eo ſui angulo vbi modo degunt explodet: condignamqꝫ
pœnam luere aſpirante Chꝛiſto efficiet. Mi frater vis Luteri luteum ⁊ ve-
neno plenum pectus lucide agnoſcere? Aperi oculos ⁊ vide quantum in ro-
manam inuehitur eccleſiam malos tantū quoꝛundam moꝛes recenſens: ⁊ bo-
nos ac candidos plurimoꝝ ſubticēs. Q Romæ cupidi: mali: peſſimi: iniquine
homines multi ⁊ copioſo numero ſint. ꝙ Romæ nepharia etiā patrentur cri-
mina: ſicut ⁊ vbiqꝫ terrarum contingit: ꝙ Romæ ſceleſtiſſimi homines: ſicut
in alijs oꝛbis vꝛbibus exiſtant: quis negat: quis ignoꝛat? Eccleſia enim dei per
arcam illam patriarchæ Noe in qua ⁊ munda ⁊ immunda animalia erant præ
figurata eſt: quoniā ⁊ boni ⁊ mali (⁊ monſtra etiā) habitāt in ea. Ergo eccleſia
dei ob id mala eſt: damnanda eſt? Ergo duodecim apoſtoloꝛum cœtus ꝙ in eo
vnus diabolus eſſet culpandus eſt? Ergo domus Abꝛaam propter ſeruū ⁊ an
cillam quos eijci præcepat dominus execranda eſt? Ergo om̄e triticū malum
exurendum: quia zizania in eo eſt? Abſit. Sed ſatis ꝙ omnipotens autho2
ſuo tempoꝛe ſeparabit bonos a malis: ⁊ ſegregabit agnos ab hedis. Sed mi
frater dum romana peccata a Lutero audis: Audi ⁊ a veritate: quæ omnia
vincit: romana merita: pꝛobitatem: virtutes ingenuas: quæ quotidie ibi cer-
nuntur: ſanctiſſima opera: quæ quotidie ibi fiunt. In maxima vꝛbe: in maximo
populo mala multa ⁊ bona multa: mali plurimi ⁊ boni plurimi ſemper. Pꝛo-
pone tibi pontifices ſanctiſſimos: cardinales patres celebꝛatiſſimos: ſacerdo-
tes candidiſſimos: viros moꝛatiſſimos: matronas chꝛiſtianiſſimas mundiſſi-
mas: q̇bus omnibꝫ (etiā nūc) longe magis Roma affluit. Penſitato q̄t paupes:
quot egenos Roma alit: Roma nutrit. Quot de virtute benemeritos Roma
ad magiſtratū pꝛouehit: quantū etiā virtutes fouet. Cogita tot xenodochia:
tot aduenarū: miſeroꝝ: infirmoꝝ hoſpitia: receptacula: vbi ⁊ pontifices: ⁊ ma-
gni ſacerdotes: ⁊ viri ampliſſimi ægris ipſis: vlceribus etiā vndiqꝫ cōfectis:
tam deuote: tam iucunde obſequuntur ⁊ famulantur. Hæc omnia ⁊ alia plu-
rima: quæ memoꝛare longum eſſet: ſi mi frater aſpicias: non inficiaberis longe
maioꝛa Romæ bona ꝗ̄ mala inueniri: recteqꝫ quum ex Petri ſede ⁊ Chꝛiſti
vicario ⁊ ſanctoꝛū martyrū inibi fuſo ſanguine ac oſſibus ſanctiſſimis: tum
ex tot quæ Romæ clare perpenduntur virtutum officijs Romam magis niti-
dam ꝗ̄ immundam: ſanctamqꝫ non abre appellari.

DECRETVM EIVSDEM REVERENDISSIMI legati apostolici pro ritu christiano per magnũ ducatum Lituaniç,& terras eidem subiectas, & annexas seruando & ampliando.

ZACHARIAS dei & apostolicç sedis gratia episcopus Gardiensis sanctissimi in Christo patris, & domini nostri domini Leonis diuina prouidentia papç decimi prçlatus domesticus,& referendarius,ac per vniuersum regnum Poloniç,& magnũ ducatum Lituaniç, omnesq́,& singulas terras, & loca mediate vel immediate,aut alias quomodolibet eisdem regno & ducatui subiecta cum omnimoda legati de latere,ac maioris pçnitentiarij de vrbe potestate nuncius,& orator vniuersis & singulis, tam ecclesiasticis, q̃ sçcularibus per magnũ ducatum Lituaniç constitutis,ad quos prçsentes peruenerint salutem in domino sempiternã, & nostris huiusmodi (immo verius apostolicis) firmiter obedire mandatis. Capite vobis (inquit sapiẽtia diuina in canticis) vulpes paruulas: quç demoliuntur vineas. Quũ autẽ p vineas nil aliud q̃ congregationes fidelium,& catholicorũ christicolarũ ecclesiç intelligatur: quç fructus ex se gignunt honoris,& honestatis: quid per vulpes paruulas accipimus: nisi principia hçreticarum astutiarum,& irrepentis schismatis & abusus exordia: quæ Christi ecclesias vbilibet constitutas, nisi citius intercipiantur paulatim destruũt, & euertunt? Quare quum in hanc longinquam regionem: quæ finibus Europç,& infidelium limitibus adiacet ad eidem spiritualia beneficia impartienda a S.D.N. papa domini nostri Iesu Christi vero in terra vicario destinati simus: ad nostramq́ noticiam p̃uenerit (proh dolor) fratris Martini Luteri,& aliorum diuersorum authorum scripta erronea, & a catholica religione,ac sanctç romanç ecclesiç orbis magistrç sanctorumq́ orthodoxorũ patrum saluberrimis decretis extranea in huius magni ducatus Lituaniç ciuitates, oppida, & terras deferri, legi, haberi, teneri,& in graue animarũ dispendium,& scandalum populorum defendi, diuersasq́ corrupte

Can. ij.

ſias,& abuſiones in moribus tam clericorum ꝙ laicorum: quæ chriſtianę aduerſantur pietati inoleſcere: ex qbus fidei,& religionis plantatio: quę hic nouella,& adhuc tenella exiſtit deuaſtari facile poſſet. Nos vt officio noſtro prout tenemur ſatiſfaciamus, nec tam longum iter fruſtra inſumpſiſſe,totꝙ labores: tot pericula: tot diſcrimina in caſſum nos ſubijſſe contingat (quum & ſanguinem ipſum ſpargere, & vitam ipſam, ac animam effundere pro chriſtianę fidei ſyncęritate teneamur) huic morbo dum adhuc recens eſt: ne maiores vires aſſumat: & in deterius vergat authoritate apoſtolica nobis cõmiſſa,& qua fungimur occurrere in domino volentes omnes,& ſingulas tam eccleſiaſticas ꝙ ſęculares pſonas cuiuſcũꝙ ſtatus,gradus,& cõditionis exiſtant: in domino exhortamur, & per precioſiſſimi ſanguinis domini noſtri Ieſu Chriſti effuſionem requirimus,& monemus, & nihilominus in virtute ſanctę obedientię, & ſub excõmunicationis latę ſententię,ac perpetuę infamię,priuationiſꝙ omnium & ſingulorꝝ beneficiorum eccleſiaſticorum: quę tunc obtinebunt, ſi eccleſiaſtici fuerint,& perpetuę inhabilitatis ad illa,& alia obtinẽda,alijſꝙ iuridicis pœnis,& cenſuris (ſi nõ paruerint) eo ipſo incurrendis eadem auctoritate apoſtolica nobis commiſſa eiſdem pręcipimus, & mandamus, quatenus infra xij.dies,a die habitę noticię huius noſtri decreti: quorꝝ quattuor pro primo: quattuor pro ſecundo,& quattuor pro tertio vltimo,& peremptorio termino eiſdem aſſignamus,& pręfigimus: omnia & ſingula eiuſdem fratris Martini Luteri ab eccleſia damnati,alioſrumꝙ quorumcunꝙ authorum a catholicis ſanctę eccleſię dogmatibus aberrantium, vel de erroribus aliquibus ſuſpectorum libellos, ſcripta, & volumina tam latino ſermone, ꝙ quocunꝙ idiomate formata,& notata coram nobis, vel locorum ordinarijs afferre, & in noſtris, vel eorum manibus ſtatuere debeant, & teneant: nec de cętero tales libellos, ſcripta & volumina in eundem magnũ ducatum,vel eius terras,ciuitates, & oppida ferre, vendere, emere, habere, tenere, eis vti,

ſeu directe, vel indirecte, quouis quęſito colore ea tueri, aut defendere impoſterũ pręſumãt: ſed ferentes, vendẽtes, ementes, habentes, tenẽtes, vtentes, ſeu defendentes, ſtatim eiſdem locorꝫ ordinarijs (ſaltem ſecreto) deferant, & denũcient. Ipſi autẽ locorũ ordinarij libellos, ſcripta, & volumina huiuſmodi mox igni tradi, & concremari faciant: vt deleantur de libro, & memoria viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur: & iuxta Eſaiam ſint veluti fauilla ſtuppę, & tanꝗ ſcintilla ſuccẽdantur. Et vt deinceps omnis de hoc magno ducatu errandi moueatur occaſio ſub eiſdem pœnis pręcipimus, & mandamus: vt nullus bibliopola, ſeu quęcumqꝫ alia perſona cuiuſcunqꝫ ſtatus, gradus, & conditionis exiſtat, libros, ſcripta, & volumina aliqua, cuiuſcunqꝫ facultatis fuerint in eundem magnũ ducatum venalia ferre, aut vendere pręſumat, niſi omnium ipſorum librorum, & voluminum titulos, & nomina, & cognomina in ſcheda deſcripta eiſdem locorum ordinarijs prius obtulerit: ſuper quo eoſdem ordinarios per omnipotentem dominum enixe rogamus, & exhortamur, & eiſdẽ etiã in virtute ſanctae obedientię auctoritate apoſtolica nobis cõmiſſa pręcipimus, & mandamus: quatenus vti veri paſtores cum omni ſedulitate inuigilent, ne in eorum gregem aliqua huiuſmodi impoſterum cõtagia inducantur. Quod tanto ſtudioſius eſt cauendum, quanto & iſdem magnus ducatus Lituanię nõ ſolum ab infidelibus, & ſchiſmaticis circumquaqꝫ cingitur, & vallatur: ſed & eos domeſticos, & inteſtinos vbilibet habet inimicos; & tanto periculoſiores quanto & familiariores. Quapropter ad omnem deinceps amouendum, & euitandum errorem, & ad catholicę fidei ſynceritatem intemeratam illibatamqꝫ ſeruandam eoſdem locorum ordinarios, & quoſcunqꝫ verbi dei pręcones, plebanos, viceplebanos, & parrochialium eccleſiarꝫ rectores ſeu eorꝫ vicem gerentes per eundem magnum ducatum Lituanię vbilibet conſtitutos exhortamur in domino, & obſecramus: vt plebem ſibi cõmiſſam aſſiduis moneant, & inſtruant documentis: vt cum eiſdem ſchiſmaticis minorem ꝗ

Pſ. lxviij
Eſa. j.

possint conuersatione͂, & familiaritate͂ habeant. Quonia͂ iuxta apostolum: Nulla est co͂uentio Christi ad Belial, aut pars fideli cum infidele. Propter quod separamini ab eis dicit dominus; & immundum ne tetigeritis (nisi forte de eis in vera & catholica religione instrue͂dis, & ad eam alliciendis operam darent: quonia͂ & dominus, & praeceptor noster Iesus Christus dixit: Non est opus sanis medico, sed male habe͂tibus, propter quod & cum publicanis, & meretricibus aliquando co͂uersabatur) Charitas em͂ & si per ignem transiuerit flamma no͂ nocebit ei, & si picem tetigerit non inquinabitur ab ea. Nam sicut scriptum est: Melior est iniquitas viri: q͂ mulier bene faciens. Et sicut eos qui in sua perfidia perseuerant cautius euitare debemus, sic illis qui detracto a cordibus velamine viam veritatis agnoscunt, eamq͂ amplecti constituunt, si ad vnitatem catholicam suscipi optauerint tanto iucundius complecti, & in charitatis visceribus eos stringere, ac proprijs humeris imponere tenemur, quanto gaudium est maius angelis dei super peccatore paenitentia͂ agente, q͂ super nonaginta nouem iustis. Eos igitur gaudentes suscipere, & postq͂ suscepti fuerint omni humanitate & dilectione prosequi oportet: quonia͂ hic frater noster mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est. In eis autem suscipiendis, & schismate abiurando modus ille seruet͂ (sicut saepius co͂mentati sumus) qui a sacrosancto florentino concilio, & deinde a beatae memoriae Alexandro vi. pontifice maximo traditus est, cuius & exempla reliquimus. Rogamus etiam vt sicuti in commertijs eorum qui in sua perfida obstinatione persistunt abstinendum est ita & ab eorum schismaticis ecclesijs, & potius co͂uenticulis abstineat͂ (qua͂do praesertim sacrificare arbitrant͂) quonia͂ hoc est certo certius (sicut noscere & probare voluimus) ipsorum assertos sacerdotes neq͂ ordine͂ alique͂ suscipe, neq͂ characterem habere, neq͂ sacru͂ conficere, neq͂ vere sacrificare. Nam neq͂ est patriarcha ille, neq͂ metropolita seu archipraesul, neq͂ praesul: a quo ordines se suscepisse & indies suscipere asserunt, neq͂ forma etiam essentiali illum.

ij. Co. vj. Esa. v.

Math. vj

Esa. xliij. Eccle. iij. Eccle. xlij

Lu. xv.

sacrificandi, aut sacrum cõficiendi ritum tenent: quẽ veri olim græci (quos se imitari astruunt) obseruarũt, & obseruant, prę ter alios plurimos, quibus obligãt̃ errores, pro quibus vt ali- quando videant omnipotens author tanto ardentius orandus est, quanto maiori cęcitatis caligine eorum oculi detinentur occlusi. Et quoniam sunt nõnulli qui dum a locorũ ordinarijs siue alijs ad quos spectat culpa exigente censuris innodantur in sacrilega verba prorumpentes se ad schismaticorꝫ sectam transfugas futuros cõminantur: iccirco vt huius criminis faci- litas de cętero remoueatur statuimus, decernimus, & ordina- mus: vt quicunqꝫ deinceps talia verba studiose in fideliũ chri- stianorum scandalum protulerit sententiã excomunicationis a qua non nisi a sanctissimo D.N. papa vel ab eo potestatem habente (pręterq̃ in mortis articulo) absolui possit, eo ipso in- currat. Et si conuictus fuerit tam diu in ecclesijs cum debitis cerimonijs excõmunicatus denuncieẽ, atqꝫ arctius ab omni- bus euitetur, quousqꝫ pręuia satisfactione absolutionis bene- ficium meruerit obtinere. Rogamus autẽ ipsos dominos tem porales per Iesum Christum dominũ nostrum, ac eorꝫ vicem gerentes, locorumqꝫ rectores & cõsules: vt brachio suo sęcu- lari contra hoc scelus atqꝫ blasphemiã remediũ ita adhibeant opportunum: vt huiusmodi homines a talibus arceantur sce- leribus. Insuper etiam quoniã non tantum contra catholicam vnitatem & sacrorum canonum traditiones: sed etiam contra & serenissimorꝫ regum Polonię, & magnorꝫ ducum Lituanię religiosa decreta in eodem magno ducatu Lituanię varię quo- tidie ex muro & lapidibus, siue lateribus schismaticorũ con- struuntur ecclesię, seu conuenticulę, multiqꝫ promiscui sexus ex christianis (quod abhominabile omnino est) contra patrũ decreta cum iudęis habitant, & eisdem etiam seruiliter famu- lantur. Nos cupientes huiusmodi malis quantum nobis a deo conceditur obuiare: ne erroribus huiusmodi fomentũ admi- nistretur pariter & augmentũ, ac filij liberę, qua libertate Chri stus nos donauit, ancillę filijs obsequãtur: omnes & singulos

itidem locorum ordinarios per magnum ducatum Lituaniæ prefatum vbilibet constitutos in domino exhortamur, eisq; in virtute sancte obedientie precipimus & mandamus, quatenus per se & suos officiales, rectoresq; parrochialium ecclesiarū talem contra malum hoc sui officij sedulitatem exerceant: vt canonice sanctiones seruentur, & ipsi vti boni pastores apud omnipotentē dominū de iniuncte solicitudinis merito æterne vite premia consequantur. Nec duximus omittendum (sicuti in synodo nuper apud diui Stanislai ædem celebrata inter sacrificandum, dum de officio boni pastoris concionaremur recensuimus) inuigilandum silicet valde esse pro animarū cura tam in monendis & instruendis populis accuratius q̄ hactenus factum est de fide, & diuinis preceptis, necnon de sacramentis diligentius ministrandis. Nam sicuti & oculis nostris vidimus, & manibus nostris palpauimus ob maximam parrochialium ecclesiarū a plebe distantiam, & earum raritatem in tam spatiosa & ampla regione baptismatis erga infantulos qui in lucem nascuntur, viaticiq;, & extreme vnctionis erga infirmos sacramenta ita negliguntur: vt & infantes sine regenerationis vnda, & infirmi sine viatico & confessione quandoq; decedant. Insudandum ideo est: vt apud eas plebes quæ decem, quindecim, & viginti nonnunq̄ millibus passuum a suis distant parrochialibus ecclesijs cura rectorum earundē sacella construantur: in quibus sacerdos, vicarius, seu altarista constituatur: qui penes se in sacello baptismalem aquam, eucharistiam, & oleum infirmorum pro ingruentibus necessitatibus nomine plebani seu rectoris sui diligenter teneat, & custodiat, & illa quum opus fuerit studiosissime administret. Sic autem omnes sacerdotes & leuite ceteriq; omnes diuino cultui mancipati in moribus se gerant erga plebem: vt tanq̄ in speculum mundum in eorum vitam omnes prospiciant, & spiritualiter edificentur. Caueant ab inhonestis colloquijs, a suspectis conuersationibus mulierum. Quicunq; concubinam ex sacerdotibus habere vel suspecta feminarum commertia

frequētare conuictus fuerit secundum canonicas sanctiones & synodales, ac prouinciales, sacriq̨ potissimū generalis Lateranensis concilij nuper celebrati cōstitutiones ita puniatur: vt cęteri metum habeant. Deberet enim sacerdos esse lucerna super candelabrum posita: quę luce sua populorum tenebras expellat. Sicuti enim signum ad sagittam positi in se omniū trahunt aciem oculorū. Omnis ideo crapula ab eis vitanda est, & ebrietas fugiēda: quę manifestissima sunt incētiua libidinis, & cęlibatui, ac sacerdotali inimica mūditię. Quid em̄ aliud candida sacerdotum prętferunt indumenta q̄ puritatem, continentiam, animęq̨ ac corporis synceritatē: de quibus scribit: Candidi facti sunt nazarei eius, splendorem deo dederunt. Non in tabernis (vt nonnulli ex eis consueuerunt) sed in ecclesijs eorꝝ cōuersatio esse debet assidua. Aequales potus (vt aiunt) qui nō tantum clericis (sed & laicis) minime cōueniunt prorsus euitent: quoniā saluator noster pręcepit ne grauent corda nostra a crapula. Et sic se exhibeāt sicuti dei ministros: vt recte cum apostolo dicere possint: Christi bonus odor sumus. Et quoniam sicut a multis didicimus infantes plurimi in hoc magno ducatu Lituanię dum cum parentibus (& forte cum alijs) in eodem lecto cubant & dormiūt suffocantur, mandent locorum ordinarij sub censuris & pęnis, & rectores ecclesiarꝝ solicitam operam adhibeant: ne vsq̨quo ipsi infantes trienniū compleuerint in eodem lecto a parentibus vel alijs q̄buscunq̨ teneantur. Habeant penes se rectores ecclesiarū parrochialiū approbatorꝝ authorꝝ sacros codices: q̄bus de cura animarꝝ, & diuinis ministerijs peragendis facile instruanť. Sint soliciti de pabulo verbi dei (in diebus saltem festis) populis ꝓponendo: ne de eis dicatur illud propheticum: Paruuli nostri petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Et sicuti sacerdotes erga plebem debent esse soliciti, ita & erga eos tanq̨ patres & pastores debet plebs se subditam, & gratam exhibere. Ideo nullus decimis & iuribus cōsuetis & debitis ecclesias defraudet: nullus dominorū sacerdotē vti seruum teneat; sed vti dei mini

Math. v.
Trēn. iiij.
Trēn. iiij.
ij. Co. ij.
Trēn. iiij.

ſtrum veneretur. Hæc omnia ꝗ̄ꝗ̄ & ſacri canones & ſanctoꝝ patrū inſtituta decernant, ea tamē ꝓ noſtro officio & pia erga fratres charitate volumus ad omniū tam ſacerdotū, ꝗ̄ ſecularium memoriā reuocare. Hortamur ideo omnes & ſingulas tam eccleſiaſticas ꝗ̄ ſeculares ꝑſonas: vt in ſaluberrima huius ſanctionis obſeruatione ita ſe exerceant, quatenus in fine vitę veniente dn̄o vigilantes ſerui reperiātur. Vos vero patres & pontifices ſeruātiſſimos per Lituaniā cōſtitutos: quos ſpeculatores dedit dominus ſuper domū Iſrael: de quoꝝ manibus impiorum ſanguis a domino exquiritur ſi eorū nō annunciaueritis impietatem, & qbus id totum attribuitur, in quo ſubiecti populi delinquunt, per illum ſupremū pontificem futurorum bonorū & regem noſtrum Ieſum Chriſtum, per illam pientiſſimam incarnationē & mortem quam pro noſtra ſalute aſſumere dignatus eſt in forma ſerui factus obediens rogamus & obſecramus, & nihilominus eadem auctoritate apoſtolica nobis commiſſa in virtute ſanctę obedientię vobis & veſtrum cuilibet pręcipimus & mandamus: vt nouellam hanc ſegetem, vineam hanc nuper plantatā in his quę Chriſti charitate compellente pro eius ſolida conſeruatione, & fęlici in domino augmento ſtatuimus, decreuimus, & ordinauimus veſtra pontificia authoritate, & paſtorali ſolertia ita ad vnguem ſeruari ab omnibus efficiatis (ſuper quo veſtram conſcientiam oneramus) vt verę & ſolidę columnę in templo dei ſitis, & quod veſtrę ſolicitudinis nomē ſonat re & opere comprobetis. Hæc ſunt quæ in noſtro ab hoc magno ducatu receſſu in ſpirituale penes vos charitatis & amoris munus, & memoriale relinquimus. Hæc ſunt quę vobis in affectus noſtri ſummi pignus & teſtimonium dimittimus. Erga demum ſanctam ſedem apoſtolicam & ſanctam romanam eccleſiam, obedientiā, obſeruantiam, ac venerationem vobis toto corde committimus: a qua quicūꝗ deuiauit repertus eſt ſemper errorum caligine obſitus, & qſqs eam veluti veritatis magiſtram ſecutus eſt a vero lumine nuſꝗ̄, & a recto tramite oberrauit.

Ezech. iij

Apo. iij.

Volumus autē, & eadē authoritate decernimus: vt poſt duo-
decim dies a die habitę noticię immediate ſequētes: quorum
quattuor pro primo, & quattuor pro ſecūdo, & reliquos quat
tuor pro tertio, vltimo, & peremptorio termino pręfigimus,
huius noſtri decreti ꝓmulgatio omnes ſtatim & ſingulas ſu-
pra memoratas perſonas quacunq; dignitate pręfulgeant in
eodem magno ducatu conſtitutas perinde arctet, ac ſi eorum
ſingulis perſonaliter exhibitum & pręſentatū eſſet. In quo-
rum omnium & ſingulorū fidem pręſentes litteras per ſecre-
tarium noſtrū fieri, noſtriq; ſigilli iuſſimus & fecimus appen
ſione cōmuniri. Datū Vilnę in eccleſia diui Bernardini inter
noſtrarum miſſarum ſolennia. Anno ab incarnatione domini
Milleſimo qngēteſimo vigeſimo. Quarto nonas Februarias,
pōtificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri prę-
fati domini Leonis papę decimi Anno octauo.

PVBLICA CONCREMATIO LIBRORVM fratris Martini Luteri in Pruſſia eiuſdē Legati mandato.

POST REDITVM eiuſdē legati apoſtolici ex Lituania
ad ſereniſſimū regem Polonię, q Thorunij in Pruſſia reſide-
bat, illius opera & interuentu regia fauente manu, omnia
ſcripta fratris Martini Luteri diligēter perquiſita, & latino ac
germanico idiomate copioſe edita, comperta ſunt. Demum
ſecunda die ſolis poſt paſcha pręſente omni promiſcui ſe-
xus polonorum, & germanoꝝ, aliarumq; nationum populo
habitis vbiq; contra eius damnatos errores publicis contioni-
bus, & litteris apoſtolicis cōtra ipſos errores iterum promul-
gatis, ſtructo rogo mandato legati cum patre eorum diabolo
terribiliter ſunt cōcremata, adſiſtentibus Ioanne Culmeñ, cu-
ius erat diœceſis, & Laurentio Cameneceñ pontificibus, ipſo
Laurentio antiſtite in hoc opere ſe admodum ſtrenue, & vi-
riliter gerente.

DECRETVM IN CAVSA LVTERINA ab inuictissimo Carolo Cęsare in conuentu vormatieñ, coram coetu principum totius imperij ꝓmulgatum.

CVicq; vestrum liquido constat, ex christianissimis inclytæ nationis germanicę imperatoribus, ex catholicis Hispaniarũ regibus, ex Austrię archiducibus, ac Burgundię ducibus nostrorꝫ natalium emanasse originẽ: qui omnes q̃diu in humanis ęgerunt, eximia pietate romanam ecclesiam, vt obsequẽtissimi filij excolentes, catholicę fidei, sacrorꝫ rituum, cerimoniarꝫ, decretorꝫ, institutionũ, cõsuetudinumq;, ad diuini cultus, & religionis incrementum, atq; animarũ salutem acerrimi ꝓpugnatores, assertoresq; extitere. Qui demum e medio sublati hęc eadem tuenda, defensandaq; nobis veluti per manus iure naturali, ac hereditario ita tradiderunt, vt in his omnem vitam agamus, finiamusq;. Hęc vero optimo maximoq; deo suffragante maiorum nostrorum vestigia vt veri imitatores secuti hanc viridiorem ętatem in eiuscemodi sanctis, religiosisq; operibus traduximus. Quę quũ progenitores nostri, tum nos ipsi in hunc diem obseruauerimus, obseruemusq;, eadem in posterum quoq; nos cõstantissime obseruaturos ꝓfitemur, & illa imprimis quę a prędecessoribus nostris in constantieñ, alijsq; concilijs sancita promulgataq; fuere (quum illud omnium vero sit verius, vnicum hunc fraterculum in sua peruersa execrabiliq; opinione aberrare) quę communi totius christianitatis sanctioni, tam ad pręsens, q̃ ab hinc mille supra annos obseruatę prorsus aduersatur. Vnde ex hac sacrilega eius sententia subsequens esset, vniuersam christianam rempublicam in densissima errrorum caligine, per tot iam sęcula fuisse versatam, & nũc quoq; versari. Iccirco in animo mihi stabile fixumq; sedet, pro christianæ fidei puritate, ab omni hęresis labe vindicanda, ac eripienda omnia quę meę subsunt ditioni regna, prouintias, opes omnes, vires, necessitudines, meũ deniq; corpus, sanguinem, vitam, ipsamq; animam

animam effundere. In summũ enim dedecus meũ vestrumq;, qui estis nobilissime clarissimeq; Germanię propago redundaret (qui ex singulari quadam prerogatiua christianę fidei vindices assertoresq; sumus instituti) si nostro tempore, non modo vlla hęresis (sed vel tenuissima hęresis suspitio) pullularet, aut vlla christianę religionis imminutio, nostra negligẽtiá fieret. Id quod nostrum etiam post obitum animis hominum inhęrens, in omnem posteritatem, ad perhenne nostrum, successorumq; nostrorũ dedecus emanaret. Quapropter cognita pertinacissima Luteri responsione: quam heri in omnium nostrum conspectu proferre non erubuit: ingenue fateor me pęnitere, q ab explodenda, eradicandaq; falsissima ipsius secta tamdiu supersederim. Deinceps autẽ ab eius nepharijs vocibus occlusas aures habere volo, & iam ita decerno, ac constituo: vt mox ex mandati nostri formula rursus vnde profectus est (fidem enim publicam, per nos interpositam inuiolatã esse volumus) reducatur. Sed ea lege, vt neq; inter redeundum cõcionari, neq; ad suã nephariam sectam quempiam allicere, vllosue populares motus excitare audeat. Constitutum enim habeo in eum, vt in manifestum notoriumq; hęreticum, ius meum auctoritatemq; exercere. Vos autẽ rogo, vt in hoc omni negocio ita mihi adesse, sensusq; vestros explicare velitis, quemadmodum bonos christianos decet, & vt muneris vestri ratio postulat, & mihi estis polliciti. Factum manu ꝓpria. decimanona aprilis, anno vigesimoprimo supra millesimum.

Legatus apostolicus pruthenicis rebus compositis petit a serenissimo Rege Polonię Sigismundo se absolui, & in vrbem ad pontificem maximũ, reditum sibi parari, agitq; gratias de susceptis officijs.

POSTQ: eam quę a beatiſſimo pontifice meis humeris im poſita eſt ſarcinam e longinqua regione ad conſtitutum locū fauente Chriſto tuli Sigiſmūde rex & princeps religioſiſſime postremumq́ꝫ certamē certaui, curſum conſumaui, iam a tua ſublimi maieſtate abſolui, & ad illos apoſtolicos pedes, a q̄bus ad te digreſſus ſum, mihi annui reditum enixe imploro. Iam enim ſecundum legationis annum ago, Romamq́ꝫ reui- ſendi ſeſe aptiſſimum tempus offert, iterq́ꝫ ſe accommodum oſtendit. Corporea hac quā cernis rex ampliſſime forma abi- turus animi mei dimidium penes tuam regiam cęlſitudinem, penes inclytum & piiſſimum regnū tuum hoc relinquo: cui quum ex maximo erga me meritoꝝ cumulo, tum ex pręcipua illa religione erga deum, & innata erga apoſtolicam ſedē ob- ſeruatione ita afficior, ita addictus ſum, ita me obnoxium de- uictumq́ꝫ fateor: vt maieſtatem tuam ſereniſſimam nuſq̄, Po- loniam nuſq̄, Lituaniam nuſq̄ obliuioni daturus ſim, nuſq̄ue meo pectore decidere poſſint. Ago gratias tantę erga beatiſſi mum pontificem & .S.R.E. venerationi, ſupplicíq́ꝫ obediētię. Ago gratias tantę erga me beniuolētię, charitati, humanitati, munificētięq́ꝫ tuę, totiuſq́ꝫ regni tui Sigiſmūde glorioſiſſime: quibus illud euangelicum Chriſti verbum ingenue obſerua- tum eſt: Quicunq́ꝫ (puerum etiam) ſuſceperit in nomine meo me ſuſcipit: & q̄cunq́ꝫ me ſuſceperit non me ſuſcipit: ſed eum qui me miſit. Sic enim & Heliſſęus propheta ille mirificus ad ſuſcitandum puerum mulieris ſunamitis baculum quē mani- bus geſtabat miſit: vt non hominē tantum: ſed & ſtipitem ali- quādo ꝓ mittētis authoritate venerabundi ſuſcipiamus. Chri ſtianę religionis normam, & catholicam chriſtianoꝝ vnitatē quam profiteris, ſanctęq́ꝫ apoſtolicę ſedis culmen: cui pro- genitores tui tuq́ꝫ hactenus ſemper regium verticem incli- naſtis cordi tuo affigas iterum precor, atq́ꝫ iterum obſecro. In qua re tanto efficacius de tua ſumma pietate teſtimonium dabis: quāto e tuo regno (ſicuti cępiſti) luterina cōtagia longe abeſſe tua manu regia ardentius effeceris. Nihil enim deo

ij.Ti.iiij

Mar.ix

iiij Re.iiij